Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25938
Copyright: Admont, Benediktinerstift



fratrib; suis. Benedictus dominus deus sem. sit chanaan seruus eius. Dilatet deus iafeth et habitet in tabernaculis sem. sit q; chanaan seruus eius. Vixit autem noe post diluuium. ccc. l. annis. Et impleti sunt omnes dies eius nongenti q; quinquaginta anno. et mortuus est.

Hec sunt generationes filiorum noe. sem. cham. et iafeth. Nati q; sunt eis filii post diluuium. Filii iafeth. gomer. magog et madai. iauan. et tubal. et moloch et thyras. Porro filii gomer. ascenez et ripath. et thogorma. Filii aut iauan. helisa et tharsis. cethim et dodanim. Ab his diuise sunt insule gentium in regionib; suis unusq; q; secundum linguam suam et familias in nationib; suis. Filii aut cham. chus et mesraim. et phuth et chanaan. Filii autem chus saba et euila. et sabatha et regma et sabathaca. Filii regma saba et dadan. Porro chus genuit nemrod. Ipse cepit esse potens in terra. erat robustus uenator coram domino. Fuit autem principium regni eius babylon. et arach et archad et chalanne in terra sennaar. De terra illa egressus est assur. et edificauit niniuen et plateas ciuitatis. et chale. Resen q; inter niniuen et chale. hec est ciuitas magna. At uero mesraim genuit ludim et anamim et ludim. Laabim et nephthuim et petrusim et chelluim. de quib; egressi sunt philistim et caphtorim. Chanaan autem genuit sidonem primogenitum suum et cheum et iebuseum et amorreum. et gergeseum et euheum et aracheum. et

Ab hac erunt primordia regni eius babylon. Quasi nemrod robustus uenator coram domino.

neum et aradium. samarithen et emathum et amatheum. Et postea diffusa sunt familie chananeorum. Facta q; sunt finium chanaan usq; ad ingressum gerare usq; gazam donec ingrediaris sodomam et gomorram. et adamam et seboim usq; lesa. Hii sunt filii cham in cognationib; et linguis et regionib; et terris q; et gentib; suis. omnia

De sem quoq; nati sunt patres filiorum heber fratre iafeth maiore. filii sem. helam et assur. et arfaxat. et lud et aram. Filii aram usez. ul. et iether. et mesa. At uero arfaxat genuit sale de quo ortus est heber. Nati q; sunt heber filii duo. nomen unu phaleg eo quod in diebus eius diuisa sit terra. et nomen fratris eius iectan. Qui iectan genuit elmodad. et saleph. et asarmoth. iare. et aduram. et uzal. et decla. ebal. et abimahel. saba. et ophir. et euila. et iobab. Omnes isti filii iectan. Et facta est habitatio eorum de mesa p gentib; usq; sephar montem orientalem. Isti sunt filii sem. secundum cognationes et linguas et regiones in gentib; suis.

Hec familie noe iuxta populos et nationes suas. et ab his diuise sunt gentes post diluuium. Erat autem terra labii unius et sermonum eorundem. Cumq; proficiscerentur de oriente inuenerunt campum in terra sennaar. et habitauerunt in eo. Dixit q; alter ad proximum suum. Venite faciamus lateres et coquamus eos igni. Habuerunt q; lateres pro saxis et bitumen pro cemento. et dixerunt. Venite faciamus nobis ciuitatem et turrim. cuius culmen